



I. N. S. T. A.  
 DISSERTATIO THEOLOGICA,  
 DE  
**INTELLECTU**  
**DEI,**

*Ex Prov. IIX. 14.*

Quam  
 Sub PRÆSIDIO

Inclitæ UNIVERSITATIS WITTEBERGENSIS,  
 h. t. RECTORIS MAGNIFICI,

VIRI,

*Summè Reverendi, Amplissimi Excellentissimique*

**DN. JOHANNIS Deutschmann/**

DOCTORIS THEOLOGI, ac Prof. Publ. longè Celeber-  
 rimi, Facultatis Theol. Senioris Gravisfimi, ut & Alumn.  
 Elector. EPHORI PRIMARI, &c.

*Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris sui etatem colendi,*

Publico Eruditorum Examini,


IN AUDITORIO MAJORI,

D. 27. November. A. O. R. clō Ibc XXCIIX.

fistet,

**M. JOHANNES Gottlob Stolke/**

Pirnenfis Misnicus, Alumnus Electoralis.



WITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII.



30  
VIRIS  
PERILLUSTRI, MAGNIFICIS, SUMME RE-  
VERENDIS, NOBILISSINIS, AMPLISSIMIS,  
EXCELLENTISSIMISQUE  
DOMINIS

PRÆSIDII,  
&

ADSESSORIBUS,  
PROTOSYNEDRII quod DRESDÆ  
est ELECTORALIS EMINENTISSIMIS  
GRAVISSIMIS &c.

DOMINO SUO GRATIOSO MÆ-  
CENATIBUS ac PROMOTORIBUS SUIS

Sanctiori obsequiorum Cultu  
ætatem venerandis, Suspiciendis.

Specimen hoc Academicum in sub-  
mississimam observantiæ tesseram sui que  
& suorum in posterum comenda-  
tionem,

Ea, quâ par est, reverentia  
offert & consecrat

Respondens.



IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGIAE BIBLICAE,  
DE  
INTELLECTU DEI,

EX PROVERB. IIX. 14.

*Hebraeus Textus:* אני בינה לי גבורה.

*Latinus Vulgatus:* Mea est prudentia (juxta Osiand. & textum Hebræum: Ego sum Intelligentia) mea est fortitudo.

B. Luth. Versio: Ich habe Verstand und Macht.

I.

**D**ost Vitam Dei, sequitur Intellectus, & Voluntas Dei, (1) quia Vitæ DEI definitionem ingreditur Intellectus, quando, juxta B. Calov. Vita Dei dicitur, qua DEUS perfectissima ratione vitam vivit intellectualem. (2) Quia DEUS spiritus est, Joh. IV. 24. omnis autem Spiritus est intellectualis. (3) Quia Vita DEI dicitur actiuosa: jam immediati, vel interni DEI actus sunt intellectio, & Volitio, quæ necessario tum intellectum, tum Voluntatem prærequirunt. Primum igitur de Divino Intellectu nobis agendum erit.

2. Nos synopticum, & emphaticum nostrum Oraculum respicimus, quod breve quidem verbis, sed rerum sententiis satis grande, sicq; secundum hoc Illustre speculum, Intellectus divini Naturam rite contemplamur. Tria vero, juxta verborum accuratum positum, potissimum indicabimus, I. Intellectus divini Existentiam. II. Intellectus divini Rationem propriam, vel Essentiam. III. Intellectus divini notabilem Eminentiam.

3. Existentiam quod concernit, ea vel generaliter consideratur, quod DEUS sit intellectualis, & Intellectum, tanquam attributum peculiare, possideat, quod certe confirmatur, (1) Ex libro scripturæ, quæ nobis innumera profert Intellectus divini documenta,

A

(a)



(a) quia Jehova dicitur **תורת ה' DEUS scientiarum**, vel intelligentiarum, I. Sam. II. 3. Vid. Disp. III. de Operibus Div. (b) Quia tribuitur ipsi Spiritus Sapientie, & INTELLECTUS (**כונה**) Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus Scientie, & timoris Domini. Es. XI, 2. (c) Quia competit eidem **βάθος πλάτης**, l. altitudo, l. profunditas imo quoque magnitudo, & multitudo divitiarum sapientie & scientie Dei, Rom. XI, 33. omnes thesauri sapientie & scientie Col. II. 3. (d) Quia modis omnibus intelligentia, ut & scientia, & sapientia, juxta scripturam, ad Deum referuntur, dum (α) ab ipso est omnis intelligentia, vel sapientia Exod. XXXVI. 1. Job. XXXII. 36. Psal. XXXIII. 15. XCIV. 8. (β) in ipso est intelligentia, sicut Jobus inquit, ipse habet consilium & intelligentiam, Job. XII. 13. Heb. **ו** Ipsi consilium, & intelligentia (γ) cum ipso, vel apud ipsum intelligentia, vel sapientia, ibid. **ו** cum ipso sapientia & fortitudo. (δ) per ipsum sapientia, vel intelligentia, quia h. l. dicit: Ego sum intelligentia, & quidem ita, sicut mox sequitur, ut PER ME, per meam intelligentiam, & prudentiam Reges regnent, & legum conditores justa decernant. v. 15. & c. (2) Ex libro Naturæ, dum noster Intellectus, & omnia principia Intelligentie, nobiscum nata, luculentissimum, efficacissimum, & sufficientissimum Intelligentie divinæ produnt argumentum. (3) Ex Libro Creaturæ, quia totus mundus, cum omnibus creaturis, est nihil aliud, quam unum magnum Intelligentie divinæ speculum. Summam enim Sapientiam DEI, tum quoad Creaturarum originationem, tum quoad earum dispositionem, tum quoad earum conservationem, & gubernationem, omnes sapientiores Gentiles vehementer admirati sunt: quod etiam semper factum est in Ecclesia. Pl. CIV. 24. (4) Ex libro Historiæ, vel Experientie, quia Gentiles, in primis Veteres, loquuntur de Mente, de Mente prima, vel de prima Intelligentia, de Geniis vel Angelis, Intelligentiis subordinatis. & c. quæ cum aliis evidenter Intelligentiam Dei demonstrant.

4. Vel singulariter, quoad hoc præfens Oraculum, quod in hoc etiam Oraculo Salomoneo, vel potius Ipsius Sapientie celestis, Existentiæ Intellectus divini stabilatur. Probatum hoc, (1) ex verbis immediate præcedentibus, quando Sapientia Patris dicit, *Meum est*

com-



consilium, mea est prudentia juxta *Vulgarum*: nara & Consilium, & Pru-  
 dentia, necessario divinum Intellectum præexigunt, & includunt.  
 (2) ex verbis Oraculum constituentibus. quia Sapiencia verbis authen-  
 ticus dicit, Ego sum Intelligentia, quibus verbis nihil clarius, nihil  
 certius, nihil firmitus, nihil efficacius, pro Intelligentia divina dici  
 posset: additur autem, mea est fortitudo: sicut enim Jobus XII. 13.  
 Sapienciam, & Fortitudinem, גבורה, Consilium, & Intelligentiam, tan-  
 quam fixum & firmum, imò prorsus immotum Quadratum conjungit,  
 ita pariter Sapiencia cælestis hoc loco Quadratum ejusmodi simpli-  
 citer sibi tribuit, sed loco Sapiencie, quæ tanquam loquens, vel Ora-  
 toris instar, hic introducitur חסד substituit, quæ vox juxta R.  
 David redditur, Lex, Sapiencia, Opus bonum, & rectum: secundum  
 alios (cum à ח descendat, Esse, Essentia, Existencia,) notare dicitur  
 Essentiam, Existenciam, Subsistentiam, Efficaciã, Effectum, Effectiõnem.  
 Aliis accipitur pro successu, fortuna: quibusdam solidum & stabile:  
 hinc à multis redditur Solida sapiencia. B. Geierus ad h. l. scribit:  
 Nomen alterum, חסד, à Junio redditur, quicquid est (respiciente ad  
 rad. ח, extitit. fuit) à Vulgato, equitas, à LXX. ἀσφάλεια, ab aliis  
 aliter. Kimchi in lib. rad. & ad Esa. XXIX. 29. exponit de sapiencia &  
 Lege. Sic & Aben Esra ad Job. V. 13. de Sapiencia. Et R. Levi Ger-  
 son ibidem de נוסח & סדר, Lege & Dispositione: rationem dat Kim-  
 chi in lib. rad. quod Lex & Sapiencia in essentia sua (alludit ad radi-  
 cem) perseverent in seculum, ubi alia Existencia cuncta revertuntur in  
 nihilum. Hac in acceptione solidæ, ac consistentis sapiencie etiam nos  
 supra illud nos habuimus c. II. 7. Confer. Job. V. 12. ubi Tuschiã, ceteris  
 effectus callidorum, producit: item c. V. 13 ubi per Virtutem, aut robur,  
 non adeo absone à quibusdã exponitur. Vult ergo sapiencia h. l. penes se  
 solam esse, ac reperiri sapienciam verã ac in omnib9 casib9 consistentem  
 quæ non fallax est, incerta, aut unius saltem objecti, &c. qualis solet esse  
 sapiencia mundana, vel Satanica, sed quæ salutaris semper est, ac vir-  
 tuosa. B. Luth. Mein ist beyde Rath und That: Sapiencia consi-  
 lium & auxilium conjungit, & consilio factum ipsum potenter adjun-  
 git, quia vocatur Rath / Krafft. Es. IX. 6. (3) Ex verbis immediate  
 sequentibus, quia statim additur: per me Reges regnant, & legum



conditores *justa decernunt*; quæ certe non aliunde, quam ex *intelligentia DEI* promanant. Imo cuncta, quæ h.l. c. II. X. *Salomon de Sapia* caelesti proponit, illa singula *Divinam intelligentiam* evidentissime, & solidissime comprobant.

5. II. Accedimus ad *Rationem Propriam Intellectus*, vel *Intelligentiæ DEI*, quæ suo modo *Rationes causandi* respicit, sed *eminenter*, non *formaliter*. (1) Ad *Causam efficientem* respicit  $\epsilon\gamma\omega$ , *Ego*. (2) Ad *Causam Materialem*, *Intelligentia*. (3) Ad *Causam Formalem*, quando dicitur *Ego SUM Intelligentia*. (4) Ad *Causam Finale*, mea est *fortitudo*.

6. *Rationem Efficientis* adsumit *Pronomen*  $\epsilon\gamma\omega$ , quod considerabimus (1)  $\epsilon\sigma\sigma\omega\delta\iota\omega\varsigma$ , vel *Essentialiter*, quia hic *Ego* non est *accidental*, sed *essentialis*, non *caducus*, vel *modernus*, sed *æternus*, non *humanus*, sed *divinus*, non *corruptibilis*, sed *incorruptibilis*, non *dependens*, sed *independens*, non *creatus*, sed *increatus*, non *ab alio*, sed *à se* &c. *semper Ego*, nim. *verus DEUS*, cui  $\delta\epsilon\alpha\kappa\tau\iota\kappa\omega\varsigma$ ,  $\epsilon\zeta\omicron\chi\iota\kappa\omega\varsigma$ ,  $\mu\omicron\nu\alpha\delta\iota\kappa\omega\varsigma$ ,  $\epsilon\mu\phi\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$ , &c. singulariter hoc *Ego* competit, quia solus ipse dicitur *Intelligentia*, (1) *vera*, (2) *mera*, (3) *prima*, (4) *summa*, (5) *maxima*, (6) *optima*, &c. & ipse *totus vrs*, *totus voeegs*, *totus  $\epsilon\gamma\omega$* , *totus  $\epsilon\gamma\omega$* , & non tantum  $\mu\alpha\lambda\acute{\upsilon}\nu\omicron\theta$ , sed etiam  $\mu\acute{\alpha}\nu\upsilon\theta$  est, sicut etiam *totus totus  $\omicron\phi\theta\alpha\lambda\mu\omicron\varsigma$* , vel *Oculus* dicitur, qui vocatur aliàs *Intelligentiæ Symbolum*, ac *hieroglyphicum*.

7. (2)  $\epsilon\pi\omicron\sigma\epsilon\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$ , ita dicitur ( $\alpha$ ) *de Patre*, quod sit *Intelligentia*, tum quia *Pater* est *fontis vitæ*, Ps. XXXVI. 10. & consequenter *intelligentiæ*, vel *lucis intelligentiæ*, sicut *David* inquit: *Apud Te, Pater, est fontis vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Tum quia *DEUS Pater lux* est (vid. *intelligentiæ*) & *tenebræ* (nim. *ignorantiæ*, vel *obscuritatis intellectus*,) *in eo non sunt ullæ*, I. *Job*. I. 5. tum quia *Pater luminum*, (vid. *intelligentiæ*) *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum descendit*, *Jac*. I. 17. hinc si quis indiget *sapientia*, *postulare* jubetur à *DEO Patre* qui dat omnia simpliciter, v. 5. tum quia loquitur hic ipsa *Parris sapientia*, sicut totus contextus edocet, quæ non potest à se (sapere, velle, dicere) *facere quicquam, nisi quod viderit Patrem* (sapientem, volentem, dicentem) *facientem*:

tem:



tem: quaecumque enim ille (sapit, vult, dicit) facit, hæc & Filius (vel sapientia) similiter (sapit, vult, dicit) facit. Job. V. 19.

8. (β) De Filio, quod itidem sit intelligentia, (1) quia Filius hic loquitur, & disertis verbis dicit: **אני הנה** Ego sum intelligentia, Conf. B. Calov. Bibl. Illustr. ad h. l. (2) Quia disertè vocatur etiam sapientia, v. l. 12. & quidem in hoc versiculo pariter cum Pronomine **אני**, ἰσοχικῶς sumto; **אני חכמה**, Ego sapientia habito in consilio. (3) Quia Filius communiter λόγος, seu Verbum, appellatur: λόγος autem est ab Intelligentia, est in intelligentia, est cum intelligentia, per intelligentiam, ad intelligentiam, & propter Intelligentiam: quæ non tantum de λόγῳ θεωρητικῶ suo modo satis certa sunt, sed de λόγῳ ἐνδιαθέτῳ simpliciter vera sunt, cū λόγος ἐνδιάθετος promanet ab intellectu, maneat etiã formaliter in intellectu; item semper est cum intellectu, fit & est per intellectum, ita quidem, ut intellectu summoto nec fiat, nec sit, aut esse possit λόγος ἐνδιάθετος, tendit etiam ad meliorem, & faciliorem intelligentiam, & tantum propter intelligentiam generatur, conservatur, & communicatur: maxime vero sunt hæc omnia de λόγῳ hypostatico dicenda, & concedenda, qui generatur à Patre, tanquam Mens à Mente, Intelligentia ab Intelligentia, Lumen à Lumine, tanquam ἀπαύλασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτηριστὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτῆς Heb. I. 3. Huc faciunt versus, qui citantur à Proclo, l. 2. & 3. in Parmenidem: Νῆς πατρὸς ἐρροίδησε νοήσας ἀκμαῖδι βελῆ Παμμόρφης ιδέας, πηγῆς δὲ μιᾶς ὑποπτῆσας Εξέθορον πατρόςθεν γὰρ ἔην βελῆ τε τέλος τε, &c. Mens Patris effudit deliberando & firmo consilio Multifformes ideas, ab uno autem fonte avolantes Exilierunt, quia à Patre Consilium (Filius) & Finis (Spiritus Sanctus) &c.

9. (γ) De Spiritu Sancto, qui pariter est Intelligentia (1) quia est Spiritus Elobim, Gen. I. 2. Hic autem Spiritus DEI, vel Elobim secum affert, & habet sapientiam, (NB) intelligentiam & scientiam Exod. XXXI. 3. qua ratione mox Elobim c. XXXVI. I. cum Jehova permutatur, ubi dicitur, quod Jehova dederit Bezaleel, & Ahaliab. sapientiam, & (NB) Intellectum, ut scirent fabre operari, quæ in usus Sanctuarii necessaria sunt, & quæ præcepit Dominus. (2) Quia

A 3

diserte



diserte dicitur inter alia Spiritus  $\text{רוח}$  intelligentie, Esa. XI. 2. nam  
 requiescet super Messiam Spiritus Jehovæ, Spiritus Sapiencie, & in-  
 tellectus, vel intelligentie, spiritus consilii, & fortitudinis, & c. quæ po-  
 tissima sunt axiomata, sicut & verbote nus in Oraculo nostro legun-  
 tur, adeoque convenientissime præsens institutum ad Spiritum S.  
 refertur, & is Intelligens nuncupatur. (3) Quia est Spiritus veri-  
 tatis, Job. XIV. 17. XV. 26. XVI. 13. vel etiam ipsa veritas, I. Job. V. 6.  
 jam veritas est primum & immediatum, proprium & adequatum In-  
 tellectus objectum. (4) Quia Spiritus Sanctus, & autor, & dator, omnis  
 spiritualis Intellectus, vel intelligentie, Act. II. dum Apostolis o-  
 mnem aperuit intelligentiam, & per hos etiam spiritualium myste-  
 riorum intelligentiam per universum mundum propagavit, & omni-  
 bus Ministris communicavit.

10. (3)  $\text{Ἰδιοποιητικῶς}$ , per certam & peculiarem appropriationem,  
 sic omnino Sapiencia personalis Dei, Filius, sibi peculiariter hanc in-  
 telligentiam appropriat, quando dicit: Ego sum Intelligencia, sicut  
 hoc indiciis plurimis, & invictis etiam argumentis, totum caput  
 manifestat, (1) quia Filius est sapiencia Patris personalis. (2) Quia  
 personalis hæc sapiencia personaliter de se loquitur: Ego Sapiencia  
 habito in consilio, v. 12. & h. l. Ego sum intelligencia, v. 24. Nondum  
 erant abyssi, & EGO genita eram. Hic character Filii personalis. (3)  
 Quia  $\text{λόγος}$  de Sapiencia verba facit, eamque discere, audire, & intelli-  
 gere præcipit, v. 5. seqq. Sic igitur alia Sapiencia doctrinalis, alia  
 personalis, alia pariter Objectiva, alia Subjectiva, alia proponitur, alia  
 proponit, alia doctrinae, alia Doctoris, partes sustinet, alia passive, alia  
 active se habet, alia materialis, alia causalis & c.

11. Rationem objecti, vel Materialis, ostendit ipsa Intelligen-  
 tia, vel Intellectus, quæ duo vocabula  $\text{συνώνυμος}$  hic accipimus.  
 Non autem hic per Intelligenciam supponimus (1) Ipsam Divinam  
 Essenciam, quia materialiter hæc latet in subjecto, quando DEI Fi-  
 lius inquit: Ego sum intelligencia: sed hac ratione prædicatum est  
 Intelligencia: si vero subjectum simpliciter esset prædicatum, & præ-  
 dicatum esset Subjectum, prædicatio foret identica, qualis sapiencie  
 caelesti ne utiquam affingenda: manet igitur Essencia Materiale,  
 quod



quod *Intelligentia*, *Voluntati*, cæterisque proprietatibus *essentiale*, i. commune, sed *Intelligentia* peculiare notat *formale*, quod *Voluntati*, *libertati*, vel aliis attributis *formaliter* contradistinguitur. (2) Neque *divinam subsistentiam*, quæ per *Ego* designatur, quod alias dicitur *Pronomen personale*, nim. *primæ personæ*, quod *secundæ*, *tertiæque personæ* contradistinguitur, quemadmodum etiam v. 32. præmittitur: *Ego Sapia habito in consilio*: & in seqq. repetitur, v. 17. *Ego diligentes me diligo*: Conf. v. 24. neque tantum in casu *recto*, sed etiam in *obliquo* de *Sapia*, & quidem frequentius in hoc capite reperitur: per ME *Reges regnant*, & *legum conditores justæ decernunt*. v. 15. *Per ME Principes imperant*. v. 16. Conf. v. 17. 21. 22. &c. neque tantum in *substantivo*, sed etiam in *adjectivo*, v. 14. *Meum est Consilium*, *Mea fortitudo* v. 31. *Deliciæ meæ sunt*, esse cum hominibus: vel etiam cum *particula*, v. 18. *MECUM sunt divitiæ, & gloria*. Tot igitur variationibus *primæ personæ* mentio fit, adeoque *subjectum* ab *attributo* distingvendum, ne utiqvam cum eodem confundendum. (3) Nec simpliciter *divinam vitam*, quia *vita* non raro distingvitur in sacris ab *intelligentia*, Psal. XXXVI. 10. *Apud te est fons vitæ, & in lumine, vid. Intelligentiæ tuæ*, per manifestationem verbi, quod *fætus*, vel *soboles intellectus*, *videmus lumen*. Sic etiam *Job I. 4.* de *λόγῳ*, vel *Sapia Patris* dicitur: *In ipso erat Vita, & Vita erat lux hominum*, quoad *intelligentiam*, & *scientiam*: adeoque sic à *vita* luculenter *intelligentia* distingvitur. Quemadmodum enim *Vita* distingvitur à *voluntate* *Ezech. XLIX. 12.* & *XXXIII. 11.* *Vivo Ego, nolo mortem morientu, sed ut convertatur, & vivat*: sic etiam ab *intellectu Vita Dei formaliter* distingvenda, cum primis quia *divinus Intellectus* à *Vita DEI*, tanquam *Actus* vel *status specialis* promanat, quemadmodum superius in doctrina de *Vita*, clare fatis id annotavimus. (4) Nec simpliciter consideratur, ut est *actualis* vel *Intelligentia*, vel *scientia*, vel *sapia Dei*, cum *Actiones* ejusmodi Dei soleant ab ipsis *Attributis* divinis *formaliter* distingvi; *Intellectus* enim est certum Dei *proprium*, vel *attributum*, quod certa ratione præsupponitur *formaliter*, ab *actuali operatione*, licet *materialiter* omnino fiat unum, & idem in Deo, sicut scribit

B. Ca



B. Calov. In Theol. Posit. p. 186. *Intellectus Dei est, quo DEUS tum seipsum, tum alia quaecunque, uno aeterno, ac simplicissimo actu perfectissime ac penitus introspicit, ac cognoscit. Manet tamen formaliter Intellectus attributum essentiale Dei, sicut definitur à B. Jacob. Mart. Exerc. Metaph. I. 2. Exerc. IV. theor. 18. quod Intellectus DEI sit essentiale attributum DEI, per quod omnino omnia, & singula, vere, sine ullo errore, & mutabilitate, proprieq; uno, aeterno, & simplicissimo actu simul, perfectissime, certissime, evidentissime, & distinctissime, in sua essentia introspicit, ac à priori exactissime scit, ac intelligit, nihil unquam ignorans, nihil more humano successive addiscens, vel cognoscens, nihil obliviscens.*

12. Præterea neutiqvam attendimus hic *Intelligentiam*, in sensu Grammatico, quatenus generaliter & verbaliter nudam significationem intelligendi notat, neq; specialem significationem, vel acceptionem determinat. (2) Nec in sensu logico, quatenus intellectus discursivus, per media logica, vel quoad naturalem, aut artificialem discursum perficitur: talis enim *intelligentia* vere dicitur imperfecta, & per humana media perficienda, quando per cognitionem rei notæ per discursum, in notitiam rei vel obscuræ, vel ignotæ deducimur, & ex certis nondum certa colligimus. Verum *Intelligentia DEI* non est discursiva, sed omnium consensu simpliciter intuitiva. (3) Nec in sensu pneumatico, vel generali, quatenus *Intelligentia* præscindit ab *intelligentia*, tum increata, tum creata: licet enim hæc suo modo DEO tribui possit, tamen saltem est præcisionis, non autem immediatæ attributionis: vel speciali, quatenus *Intelligentia* sumitur pro creata quadam *intelligentia*, sive sit illa spirituum creaturum incompletorum, sive completorum: neutra liquidem Deo convenire potest, cum utraque sit dependens, & creata, Deo verò nihil creatum atque dependens, competere dicitur. (4) Nec in sensu physico, quatenus accipitur pro rationalis animalis primaria proprietate, cum animal rationale sit intellectu, vel *intelligentia* præditum: sed DEUS animal non est, nec objectum physica: non igitur physica proprietates eidem adscribendæ. Accedit huc, quod intellectus ejusmodi sit accidens in homine, non autem ipsamet *Essentia*,  
ticia



sit *qualitas*, sit *potentia naturalis*, &c. quæ singula talem *intelligentiam* à Deo removent, cum *nullum accidens in DEum cadat*. (5) nec in *sensu Ethico*, quatenus *intelligentia* sumitur *habitualiter*, pro certa quadam *intellectuali virtute*, & tum *virtutibus intellectua- libus practicis*, *prudentiæ* nim. & *Arti*, tum etiam reliquis *Theore- tici* ita contradistinguitur, ut peculiarem *virtutem habitualiter* absolvat, qua ratione dicitur *Habitus principiorum*, sicut *scientia* vocatur *habitus conclusionum*, & *Sapientia habitum* ex utraque com- positum infert. (6) Sed in *sensu Pneumatico singulari*, quatenus *Intelli- gentia* dicitur *Infiniti Spiritus proprietatis*, & *attributum*.

13. Denique neququam hic *Intelligentiam* accipimus (1) pro *intelligentia suppositali*, quo sensu *Gentiles Angelos* dixerunt *Intelligentias*, & has motrices *Orbium cælestium* constituerunt. *Arist. L. 8. Phys. c. 6. lib. 11. Metaph. c. 8. Plato lib. 1. de Legibus* &c. Nam tales *intelligentiæ* sunt *dependentes & creatæ*, sunt *finite & numerosæ*, &c. quæ certe de *Intelligentia DEI* neque possunt, neque debent affirmari. (2) Neque pro *intelligentia accidentali*, quæ sit *verum & morum accidens*: Nam *accidens in DEum non cadit*. (3) Nec de *Intelligentia potenciali*, quæ, tanquam *facultas*, reperitur in nobis, & de *potentia* ducitur in *actum*: nulla siquidem *potentia* per *actum* complenda, vel ulterius *actuanda*, cadit in *DEum*, cum *DEus* in omnibus sit *purissimus, simplicissimus, & actuosissimus actus*. (4) Neque pro *Intelligentia habituali*, quæ per *habitum* acquiritur, studioque vario perficitur: *DEus* enim nulla vel *acquisitione*, vel *perfectione*, tanquam *intelligentissimus*, vel, quoad *intelligen- tiam*, *perfectissimus*, opus habet. (5) Neque pro *intelligentia tem- porali*, quæ certo tempore tum obtinetur, tum retinetur, tum de- letur, & *objecta temporalia*, vel *disjunctive*, vel *finite* possidet, nim. vel *præterita*, vel *præsentia*, vel *futura*, aut quædam de his saltem *objectis* intelligit. Nam *DEus* & *præterita*, & *præsentia*, & *futura*, simul & semel, & semper intelligit, & eadem infinite cognoscit. (6) Neque pro *intelligentia partiali*, cum & *DEus*, totus, totus sit *intelligentia*, & omnia, quæ sunt *intelligibilia*, simpliciter intelligit. Nec ulla possumus alia, quæ saltem aliquid imperfectionis secum habent, admittere, cum *DEus* in omnibus sit *omnis imperfectio-*

B

nis



nis expertis. Dicimus igitur, (7) quod hæc *Intelligentia* sit *transcendentalis*, quia *transcendit*, ut alia cuncta, sic etiam omnes *intelligentias*: *essentialis*, quia tanquam *proprietas Essentialis* Deo tribuitur, *affectionalis*, cum per modum *essentialis* attributi de DEO dicatur: *intentionalis*, non quod in nostra tantum *intentione* sedeat, nec *vere*, seu *realiter* Deo competat, sed *intentionaliter* saltem Deum respiciat: verum potius ut *vita Dei* dicitur *intentionalis*, non quasi non sit *realis*, sed quod non sit *physica*, vel *naturalis*, non *animalis*, vel *rationalis*.

14. Ex dictis igitur facile colligitur, quod *Intelligentia* divina *formaliter* non sit (1) *ipsa Dei quidditas*, vel *Essentia*, licet *materialiter* eandem inferat; cum *intelligentia* simpliciter non sit ipse *DEus*, sed *aliquid DEI*, non ipsum *subjectum*, sed ejus quoddam *attributum*, vel *prædicatum*, sicut etiam hic *prædicati* loco, juxta *Salomonem*, ponitur. (2) Neque tamen sit *qualitas aliqua* (*superaddita*: licet enim *intellectus* in *creaturis* sit *essentialis* quædam *facultas*, & *qualitas*, tamen de *DEO glorioso* nihil tale concipiendum, vel dicendum. Et certum est, quod tale quid nec *essentie divinæ primitiæ* & *eminentia*, nec *simplicitas* & *independentia*, nec *infinitas* & *perfectio*, vel aliarum *proprietates* admittant. (3) Nec est ipsa *formaliter operatio*, vel *ἐνέργεια*, licet *vere* sit *ἐνεργητική*, hoc tamen *θεοπροσωπῶς* vel *DEO* *convenienter* intelligendum, hinc *Aristot.* ipse scribit l. 12. *Metaph.* quæst. 51. *In Deo non est intellectio, per modum veræ operationis ab intellectu productæ.* (4) Sed potius est *status attributivus*, *essentialis* & *actuosus*, quo dicitur *essentia divina purissime*, *actuosissime*, *perfectissime*, *simplicissime* cuncta vel *intelligere*, vel *cognoscere*.

15. Interim quando nostrum *Oraculum* respicimus, facile deprehendimus, quod *Filius DEI* verbis istis: *Ego sum Intelligentia* significet (1) *Intelligentiam immediatam*, & *formalem*, quæ *DEI proprietates*, hinc quidam *Interpretes* utuntur *Pronomine possessivo*, *Mea est prudentia*, *Vulgat.* l. etiam *Verbo possessivo*. *Luth.* *Zeh habe Verstand* / quia nim. *Filius Intelligentiæ*, tanquam *essentiale proprium*, *revera possidet*. (2) *Intelligentiam mediatam* & *materialem*, quatenus *Ipsamet Essentia* dicitur *Intelligentia*, sicut *textus Hebraeus* sonat: *אני ה' Ego sum Intelligentia*, *verbum Sum* dicitur *sub-*  
*stanti-*



stantivum, & fundamentaliter ipsam Essentiam, vel etiam Esse respicit. (3) Intelligentiam ultimatam, & personalem, quando Sapiencia cælestis inquit: Ego, verus DEI Filius, verè secunda persona Deitatis, à Patre meo distincta, Conf. v. 22. peculiariter sum Intelligentia, vel intelligens λόγος ὑπερσεντικὸς. Et hæc distinctæ relationes in simplicissima Deitatis identitate, & identificata ejus simplicitate, quam optime dicuntur inter se convenire.

16. Subjctum igitur hujus Intelligentie respicit ἀμέσως λόγον, hic verba facientem, & quidem ἰδιοποιητικῶς; infert tamen ὑπερσεντικῶς suo modo, non tantum Filium, sed etiam Patrem, & Spiritum; tandem etiam ἁσινωδῶς ipsam Essentiam Divinam, Conf ea, quæ th. 6. & seqq. dicta sunt de Principio. Nam Principium & Subjctum in divinis conveniunt, sicut ex inductione cuilibet apparebit.

17. Objectum Intelligentie divinæ, verbis explicitis quidem in Oraculo nostro non exprimitur, in antecedentibus tamen, & consequentibus, evidenter & sufficienter declaratur, (1) generaliter, & quidem partim per universale signum. v. 30. Cuncta, vel omnia, omni tempore: partim per Universale Objectum, quod dicitur Veritas, v. 7. cum veritas directum sit Intelligentie divinæ Objectum: Item generalis scientia. v. 9. &c. (2) Specialiter, ita partim introducitur objectum directum, (a) ratione cogitationum, vel consiliorum, vel desideriorum. v. 11. 12. 14. &c. (b) ratione sermonum. v. 6. 8. (c) ratione rerum, quia res omnes, imprimis magnas, respicit v. 6. tum omnes Dei vias. v. 22. 32. tum vias justitiæ, & semitas judicii, v. 20. tum omnes Dei creaturas, v. 25. seq. tū omnium vitam, v. 35. tū omnium abundantiam, & gloriā, v. 18. tū omnium salutem, & felicitatem, juxta Vulgat. vel omne beneplacitum ab & in Domino. v. 35 &c. Partim introducitur objectum indirectum, quod est malum, tum subjctivum, v. 36. qui videt & intelligit omnes peccatores, & qui DEum oderunt: tum objectivum, idque tam culpæ, v. 8. 13. 33. &c. quam pœnæ. v. 36. Sic multis modis Objectum Intelligentie, juxta contextum, per Salomonem illustratur.

18. Alias certum, quod in universum omnia sint Objectum Intelligentie divinæ, quæcunque saltem possibilia, vel cognoscibilia diciqueunt. Hinc August. serm. 10. de Verb. Dom. censet, vix inveniri tales, qui dixerint, aut statuerint, DEum omnia scire, vel videre

B 2,

1107



non posse; licet afferat, eos fuisse, qui statuerint, *DEum omnia videre nolle.* Totum, & Omne, γυναικῶν est *Objectum* hujus *Intelligentia:* nim. *Omne*, cum omnia nuda sint, & aperta oculis ejus, & non est facta creatura invisibilis in conspectu ejus, Heb. IV, 13. Totum etiam, quia non partem rerum, sed res totas, non saltē κατ' ἴξω, sed etiam κατ' ἴσω, non tantum quoad *essentiam*, sed etiam quoad *accidentia*, &c. *intime, perfectissime, vel plenissime* DEus intelligit: nam τεροχη- λισμῶν proprie dicuntur illa, quæ totaliter à collo suspensa excoriantur, & per dorsi spinam tandem resupinata finduntur, ut totaliter intus & extus oculis appareant: cum primis nota sunt ipsi ab eterno omnia opera ejus. Act. XV. 18. Ipsi Gentiles quoque talem παντοφίαν DEO tribuerunt. Plato dixisse fertur, persuasum naturaliter omnibus hominibus esse, Divinitatem omnia nosse. Notus est Hesiodi versus: Παντ' ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμοῖς, καὶ πάντα νοήσας. Thales apud Cicer. l. 2. de Leg. dixit: *Homines existimare oportere, Deos omnia cernere.* Sic etiam alibi passim tum apud Gentiles, tum apud Rabbinos, tum apud alios Christianos tum Patres, tum Doctores similia dicta notabilia magno numero reperiuntur.

19. Est autem *Objectum Intelligentia* divina vel *primarium*, vel *secundarium*. *Primarium* est DEus Ipse, qua DEus & seipsum, & omnia, quæ Dei sunt, intelligere dicitur *perfectissime*, sicut .h. l. multis indicium *Sapientia* cælestis id ipsum significat, v. 22. seqq. & aliàs res hæc certa, tum ex Matth. XI. 27. tum ex I. Cor. II. 10. & ex aliis locis. Neque Gentilibus id fuit incognitum, sicut Arist. scribit l. 12. Metaph. c. 9. *Manifestum est, Mentem divinam intelligere, quod divinissimum & honorabilissimum est.* Mercurius Trismegistus quidem in Pimandro c. 2. hoc negasse videtur, quando scribit: *DEus minime sibi est intelligibilis.* Verum loquitur non de re, sed de modo, nim. non de possessione, sed de intelligentia per sensus acquisitione, sicut in contextu suam sententiam satis explanat.

20. *Secundarium objectum* est, quod extra Deum concipitur: & dicitur vel *negativum*, quod sub ratione non Entis intelligitur, iterumque dicitur vel *pure negativum*, sicut Deus impossibilia, quæ fingunt homines, simplicissime dicitur intelligere: vel *privativum*, quod tanquam *pure possibile*, nunquam autem futu-



intelligit. Vel *positivum*, quia ratione Deus omnia Entia *Actualia*, & quaecunque sunt horum Entium, purissime, & perfectissime videt, & intelligit. De his alias prolixè solent agere Philosophi. Huc etiam referenda, quæ *ib. 17.* ex hoc capite prolata.

21. *Rationem Formalem* nobis affert verbum *Sum*, quod inter *אני & הוה*, tanquam necessaria copula, requiritur, licet apud Hebræos, nulla particula peculiaris inveniatur, sed more consveto subintelligatur, hinc *Latinus Vulgat. Mea EST prudentia*, Osiand. *Ego SUM Intelligentia*. Verbum *Sum* autem hic *Emphaticum*, & suo modo *rationis formalis* respectu induit, (1) quia reliquis rationibus, per analogiam eminentiæ, juxta purificationem debitam, intellectis, *causando* contradistinguitur, prout ex *verbis*, & ex *presente tractatione* manifestum. (2) Quia verum *Esse* dicitur importare: hac ratione vel importat *esse materiale*, vel *formale*: non *materiale*, sicut hætenus demonstratum, ubi potius *Intelligentia*, tanquam *materiale*, fuit exposita: & licet alias *Intelligentia formale proprietatis*, & *attributum*, in Deo rectissime notet, tamen hic loci, quoad præsentem *Propositionem*, quando dicitur: *Ego sum Intelligentia*, notat *terminum* aliquem *materiale*, dum sicut *Ego subjectum* designat, ita pariter *Intelligentia predicatum* importat, sola verò particula *sum formalis rationem*, vel *predicationem* demonstrat: sic etiam, cum *intelligentia Filio Dei*, non uno modo competere queat, tum *essentialiter*, quatenus est *Intelligentia divina*; tum *personaliter*, quatenus hypostatice dicitur *Intelligentia Genita*, vel *Intelligentia Patris*; tum *naturaliter*, quatenus in humanitate sua possidet *Intelligentiam humanam perfectam*, beneficio imaginis divinæ homini concreatam; tum *habitualiter*, quatenus crevit ut *sapientia*, sic etiam *Intelligentia*, *Luc. II. 52.* tum *communicabiliter*, quatenus per, & propter unionem & communicationem personalem, suæ quoque carni divinam *Intelligentiam* communicavit, ut *humana natura ipsius plena sit Intelligentiæ*, seu *veritatis*, *Joh. I. 14.* ita quidem, ut *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ*, (& sic etiam *Intelligentiæ*) *sint in eadem absconditi*, *Coloss. II. 3.* & c. hinc propter *communitatem* illam *Intelligentiæ* potius hic *materialiter*, quam *formaliter* spectatur: cum *materialis ratio sit communis*, & *indeterminata*, *formalis autem ratio propria sit & determinata*. Manet igitur, quod



*Intelligentiæ, tanquam Materialis, determinatio, potissimum hoc loco formalem rationem importet. Præterea licet Verbum SUM alias hic sit generalissima significationis, atque relationis, tamen in statu vel Deitatis, vel infinitatis, vel præsentis suppositionis, singularissime conditionis est, quod pluribus demonstrare nolumus. Sic itaque τὸ Sum hoc loco formalis rationis statum acceptat, & locum ejus exornat. (3) Quia τὸ Sum, prout h. l. supponitur, dat Esse, dat distinguvi, dat operari, quæ tria sunt evidentissima formalis rationis vel requisita, vel officia, vel κερτήρια. Dat esse, quia Substantivum Verbum est, & hoc loco rationem Essendi divinæ Intelligentiæ cælestis Sapientiæ vel communicat, vel eandem indicat & manifestat, cum sine τὸ Esse Dei, nec sit nosse, vel intelligere DEI, & dum cum Intelligentia conjungitur, sic essentialem Intelligentiam Filio Dei tribuere deprehenditur. Dat Distingvvi, quia sic per hoc Sum distingvitur hæc Intelligentia, tum Essentialiter, ab Intelligentia, tum Angelica, tum humana; tum personaliter, ab Intelligentia Patris Ingenita, & Spiritus Sancti procedente; tum causaliter, à quavis intelligentia dependente; tum communicabiliter, ab Intelligentiæ statu, quatenus Humanæ naturæ Christi communicata. &c. Dat operari, quod prolixè juxta contextū explicari posset, siquidem omnes operationes, quæ longissimo tū numero, tum ordine, Sapientiæ Patris adscribuntur, in toto hoc Capite octavo, dicuntur ab hoc substantivo verbo SUM derivari, cum sit Essentialis & Infinita Deitatis Intelligentia. (4) Quia per hoc SUM Intelligentia Filii constituitur in esse suo proprio, formali, ultimato, vereque determinato: jam autem hoc forme proprium esse dicitur. Ubi tamen observandum, quod non absolute sit formale, sed potius in statu relato, quatenus ipsamet Intelligentia dicitur Esse; nec enim plane, vel plene verba divinissima, vel eminentissima, nos capere possumus, unde saltem de his pro imbecillitate nostra balbutimus.*

22. Nunc Ratio formalis, Intellectus & Intelligentiæ, quoad hoc Verbū formale Sum declaranda foret, sed hoc nobis impossibile: latet equidem in *textu*, sed nobis, nostræq; tum *impotentia*, tum *ignorantia* non patet. Quod in *textu* lateat, facile probatur, (1) quia *textus verba, sunt Dei verba, quæ mysteria Dei comprehendunt.* (2) Quia verba oris divini, sunt symbola *mentis* divinæ: si proinde

non



non esset in *verbis oris*, sequitur, quod nec esset in *verbo mentis divi-*  
*ne* quod absurdum: nobis equidem impossibile cognoscere, l. per-  
spicere mentem divinam: sed DEUS propter infinitatem mentis  
suae novit omnia. (3) *Quia* hic ipsa *Dei Sapiaentia*, vel *Intelligentia*, de  
se loquitur, adeoque omnium optime de se testari potest.

32. Quod nobis non pateat hæc *ratio formalis*, inde facile colli-  
gitur, (1) *quia res fidei*, non autem *rationas*. (2) *quia* tantum in summis  
& sapientissimis hominibus *Effecta divinæ vel Sapiaentia*, vel *intel-*  
*ligntia* deprehenduntur, nulli proinde causam, vel principium  
ipsum penetrare dicuntur, sicut v. 15. dicitur: *Per Me Reges regnant,*  
*& legum Conditores justa decernunt* v. 16. *Per Me Principes imperant,*  
*& Potentes decernunt justitiam*: Summi sunt inter homines *Reges*,  
sapientissimi sunt *Legum conditores*. (3) *quia* Deus revera nobis di-  
citur *impervestigabilis*, & *in essentia*, & *in attributorum competentia*,  
& *in eorum eminentia*, & *in omnibus aliis*, ut hic cum Apostolo sit  
exclamare necessum, *Rom XI. 33. O altitudo divitiarum, sapientia &*  
*scientia Dei! quæ incomprehensibilia sunt judicia ejus, & impervestigabi-*  
*les viae ejus? Quis cognovit sensum Domini? aut quis Consiliarius ejus fuit?*

24. Cum igitur ipsam *Formalem rationem* nec intelligere, nec  
exponere possimus, ne prorsus nihil afferamus, dicimus, quod  
*formale* vel considerari possit *generaliter*, sub *Attributi ratione*,  
quo pacto dicitur, (1) *attributum Grammaticum*, quia quoad pro-  
priam significationem Deo tribuitur, & quidem h. l. *substantive* אני  
*Ego sum Intelligentia* sæpius etiam *adjectivè* dicitur *intelligens*. (2)  
*Attributum Logicum*, quia prædicati locum hic occupat: *Ego*  
*sum Intelligentia*. (3) *Attributum Metaphysicum*, quia tanquam  
*Attributum transcendente* Deo competere dicitur, cum *Intelligen-*  
*tia* sit *Attributum Essendi*, quod simpliciter quoad *materiale* refert  
ipsam *Essentiam*. (4) *Attributum Pneumaticum*, quia tum ut *Attri-*  
*butum Spiritus*, tum ut *Attributum Divinum*, de Deo dicitur.

25. *Specialiter*, sic *Intellectus* competit Deo, (1) non per modum *pe-*  
*sentia*, seu *facultatis naturalis*, quemadmodum homini per *naturam*  
*Intellectus humanus* competere dicitur. (2) Neq; per *modum virtutis*  
cujusdam *moralis*, quemadmodum *Intelligentia* communiter inter  
*Virtutes intellectuales* apud *Ethicos* nominatur, & tanquam *habitus*  
*principiorum*, reliquis virtutibus intellectualibus *contradistinctus*,

ex-



explicatur. (3) neque per modum habitus concreati, sicut Adam illustri fuit intelligentia præditus; Deus enim Creator est, non Creatura, creans, non creatus. (4) neque per modum habitus infusi, quemadmodum illustris fuit intelligentia penes Prophetas & Apostolos, nimirum per Spiritus Sancti specialem infusionem, & supernaturalem accensionem. (5) Neque per modum concreata, vel confirmata Angelicæ Intelligentiæ, quia nullus Angelorum quoad ullum statum, dicere potest: Ego sum Intelligentia. Qualitas in Angelis est Intelligentiæ, non quidditas, potentia, non Essentia: sed competit Deo, (1) per modum essentialis actus, cum Deus sit purissimus actus, in omnibus, & sic etiam in hac pariter Intelligentiæ: sic & omnia, quæ sunt in Deo, sunt ipsamet Essentia (2) Per modum Spiritualis actus, quia Deo, tanquam vero, sed infinito Spiritui competit Intelligentiæ. (3) Per modum actus vitalis, cum Vita Dei se per Intelligentiam exierat. (4) Per modum actus totalis, cum Deus totus totus sit intelligentia.

26. Denique *Rationem cause finalis* offerunt ultima verba, *mea, vel mihi est fortitudo*, tum quia Intelligentia Filii Dei non est frustranea, sed semper fructuosa; tum quia nunquam caret fine, dum sicut Agens agit propter finem, sic intelligens agit propter finem; tum quia Intelligentia non est nude theoretica, sed practica; tum quia sibi metipsi finis est Deus, & Intelligentia Dei; tum quod Deus sapienter intelligere dicitur, illud fortiter exequitur, & ad hanc fortem executionem omnis Intelligentia finaliter tendit; tum quia Dei nosse tendit ad posse Dei, intelligere tendit ad perficere. &c.

27. Ultimo loco breviter adjicimus *Intellectus divini Eminentiam*, per *Axiomata*, nobis in textu vel aperte, vel aperte manifestata, sic Intelligentia Dei dicitur, (1) *Una*, dum loquitur in singulari, cum nec sit, nec esse possit multiplex Intelligentia divina. (2) *Vera*, quia verum dici, verum requirit esse, vel inesse. (3) *Bona*, cum sit optima respectibus omnibus. (4) *Perfecta*, cum Dei sit, *Entis perfectissimi*. (5) *Divina*, quæ soli Deo competit. (6) *Propria & possessiva*, *Mea est intelligentia*, Luth. *Bei mir ist Verstand*. (7) *Immediata*, *Ego*, non mediatis attributis, exercitiis, habitibus, &c. intelligo, sed *Ego ipse sum intelligentia*. (8) *Essentialis*, vel quidditativa, *SUM Intelligentia*. (9) *Infinita*, quia superat omnia divinæ Mentis Intelligentiæ. (10) *Practica*, quia cum consilio, potentia, & fortitudine hic introducitur. (11) *Universalis & Catholica*, quia nullo modo restringitur. (12) *Æterna*, quia semper & indefinenter *Esse* dicitur. &c.



AD CLARISSIMUM ET PEREXIMIUM  
DN. M. JOH. Gottlob Stolben  
DE INTELLECTU DIVINO

Publice Disputantem.

CLARISSIME DN. MAGISTER, *Amice Dilecte*, Maximum *In-*  
*tellektus Dei* Mysterium est, & perfectissimum *omnis Sapientiae*  
*promptuarium*. Nihil certe vel *divinae*, vel *humanae sapientiae* re-  
peritur, nihil ejus unquam traditum, quod ad hoc *Omnia Sapientiae*  
*primum*, vereque *nativum*, & *Catholicum Archivum* non pertineat. *In-*  
*tellektus divinus* est *Fons* *omnis Sapientiae*, de quo cuncti *sapientioris do-*  
*ctrinae rivuli* sine fine promanant: est *fons sapientiae*, cujus subsidio citra  
difficultatem omnem *abyssum ignorantiae* tuto transire licet: est *Mons sa-*  
*pientiae*, qui sua *magnitudine* continet, sua *plenitudine* possidet, sua *celsitu-*  
*dine* transcendit *omnia Sapientiae caelestis*, & *terrestris secreta*. Hunc  
*fontem* adire, hunc *pontem* transire, hunc *Montem* introire, verae *sapientiae*  
dicitur *indicium*, verae *felicitationis* habetur *privilegium*. Te proinde *sapientem*  
dico, Te *felicem* judico, qui *Divinum Intellectum* contemplari susci-  
pis. Nec enim *dulcius* aliunde, quam ex hoc *lucidissimo fonte*, *Sapientiae*  
*liquor* bibitur: neque *tutius*, quam in hoc *ponte*, vel ad *Domum*, vel ad  
*Arcem*, vel ad *Regnum Sapientiae* transitus instituitur: neque *plenius* ulli-  
bi, quam in hoc *Monte*, *Sapientiae thesaurus* invenitur: in primis dum ad  
hoc *Sapientiae* vel *studium*, vel *curriculum*, optimum adhibes *baculum*,  
seu *vehiculum*, optimum *Comitem*, optimum *Hodegetam*. *Baculus itine-*  
*ris*, vel etiam *vehiculum*, *Dei Verbum* est, quod verae, meraeque *Sapientiae*  
*Verbum*, ipsius *Intellectus divini* propria non tantum, sed etiam *nativa*  
*Soboles*. *Comitem* Tibi jungis, viaque *socium Sapientissimum Salomonem*:  
*Hodegetam* alium non eligis, quam *Sapientiam Patris*, *Aeternum Consilia-*  
*liarium*, SS. *Trinitatis λόγον*, & *omnis Sapientiae liberalissimum Promum*  
*condum*. O *Felix institutum*! O *felix curriculum*! Pendeas ab hoc *Ducto-*  
*re*, *λόγω*, semper adhaereas *Comiti* tuo, *Sapientissimo Salomoni*, nitaris hoc  
*baculo*, seu ducaris hoc *vehiculo*, *Dei Verbo*! Sic *Intellectum Divinum* adire,  
*sapientiae liquorem* ex hoc *fonte* haurire, *difficultates* omnes in hoc *ponte*  
transire, cunctasque *Sapientiae divitias* in hoc *monte* reperire poteris. Fiat  
hoc, fiat ad *Dei Gloriam*, ad *Boni publici πολυκαρπία*, ad *Maxime Reveren-*  
*di*, DN. PARENTIS constantem *letitiam*, Tuamque; tum *έντυχία*, tum *αυ-*  
*τάγκεια*! Dab. Witteb. Die XXIII. Nov. Anno M DC LXXXIX.

JOH. Deutschmann / D. p. t. Acad. Rector.

31



CL. DN.  
M. JOH. GOTTLOBSTOLTZIO,

SS. Theol. C. solertissimo, Fautori honorando,  
h.t. de Intellectu DEI in Cathedra Lutheri disputaturo  
hac ode gratulatur

M. JOHANN. Peiser / P. L. Cæs., Lyc. Witteb.  
Rector & Illustr. Soc. Teuton. addictus.

Sic utramque juvat sidere TE bono  
Lutheri cathedram scandere! Sic Patrie  
Et desiderii & Patrie spei

Dignus laude satisfacis!

Nam, dum, STOLTZIADÉ, hîc vixeris, id dari  
Credebas operæ, ut ne tuâ serperet  
Virtus, ut cochleis mos solet esse humi,  
Nil cedens Jovis aliti.

Annon Eusebius (\*) testis erit locô,  
Quem Musis poteras sistere Pallados  
In pugna? Haud minimæ laudis erat bene  
Stare, ac tela retundere.

Certamen repetis non trepidô pede.  
Quanto præsidio Magnificus Tibi  
Est Rector! Decus hoc non leve ponitur  
Uti posse Duce inclito.

Hæ sunt primitiæ; quas decimas feret  
Ætas posterior, si magis ac magis  
In stadio liceat pergere alacriter  
Currenti! Bona fata sint!

Conservet Patriæ Cunctipotens Patrem!  
Conservet Proceres, hostibus omnibus  
Disjectis! Redeat finibus Imperi  
Et Pax & mera Faustitas!

Patroni superent, quos pietas tua  
Infucata colit! Floreat & Parens,  
Ut mecum usque voves, in Pylios dies!  
Metam tangere sic licet.

(\*) Episcopus Casariensis, de quo h.l. superiori mense Diatriben Historicam  
non sine applausu in Colleg. Philosophicâ proposuisti.



